si violencia caperetur. Interim rex Aragonum (ensi) Panormi applicuit et inde cum sua milicia vadit Messanam.+ Quod audiens rex Karolus ad obsidionem recedit. Insuper et de Sicilia in Calabriam cum exercitu transiit timens, ne sui victualia perderent et ne rebellarent alie partes regni,[T] scripsitque regi Aragonum (ensi) se admirari, quomodo regnum suum invaserat. Cui ille respondit racione uxoris filie Manfredi ad se pocius pertinere. Ad huius autem litigii discussionem ad singulare certamen se invicem requirunt et Vasconiam eligunt, ubi et convenisse dicuntur. Sed rex Aragonum (ensi) oculte veniens comperto, quod ibi tutus non esset, premissa protestacione recessit. Alii dicunt eum in termino nunquam comparuisse.

MCCLXXXIII. Hugo rex Cypri transiit Beritum et processit usque Tyrum, et cum multi per terram equos transmitterent, Saraceni de monte occurrentes prope Sydonem aliquibus interfectis ceteros duxerunt cum bestiis. Intellexit autem rex opus esse Templariorum de Sydone.

+ f. 267° col. 1. Die Schrift auf dieser Seite an zahlreichen Stellen etwas verwischt oder abgefärbt. Am Rande kleine Löcher.

[T] ~~od. regni~~ reg. c.